DIDASCALIA V.

Contra cuncta adverſa eſt protectio in Euchariſtia.

Cyprian. Euchariſtia. ſcutum cœleſte.

1 GNome inſignis eſt Cypriani *Epiſt* 17. Unde infit; *Quos tutos eſſe contra adverſarios volumus monimento Dominicæ ſaturitatis armemus.* Hoc eſt ſcutum de cœlo delapſum in tutelam inermium cordium. Retorqueamus acumen Virgilij *Æneid.* lib. 8. v. 447.

Virgil.

Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela.

Igitur in hoccine ſcutum non ſunt arma. Qui inimici hominis? Animæ inimici, ſcilicèt Diabolus leo, Mundus taurus, & Caro urſus. Verùm quid? Sine acumine arma veniunt, quippe invalida franguntur.

En urſus frendens, rugiens leo, taurus anhelans,
Ante venerandos procubuere pedes.

Gabriel á S. M.

Quod non mille viri valuere potentibus armis,
Id valet abſque armis una buccella fide.

Canit Gabriel à S. Maria *Tetraſt.* 19. Nullo ſcutum penetrabile ferro: quantumvis chalybea, arcum conteret, & confringet arma. Feliciter exclamat Ieremias pro hominibus reſervatis: *Dediſti eis ſcutum cordis laborem tuum*: ſiquidem pane doloris, & laboris ex ligno crucis, decocto ac educto ex fornace pectoris, franguntur tela mundi, præparata, ut ſagittet in obſcuro rectos corde. Carnis etiam per ſermonum illecebras medicata fulmina, quæ licèt emollita ſuper oleum, etiam ſunt iacula: ac denique ignea tela diaboli, fabricata à Cyclopibus inferni: igitur viſo Euchariſtiæ ſcuto cadit ſagitta volans, languet negotium in tenebris perambulans, & dæmonium incurſans. Mundus clamat: *Ego deficio.* Diabolus clamat: *Ego decipio.* Caro clamat: *Ego inficio.* Chriſtus clamat: *Ego reficio.* Hinc, cùm cibus ſit in comeſtionis uſus; ut deſignaret Euchariſtiæ futuræ gratiam, dicit Iſaâcus gnato: *Fac cibos ut comedam.* Perproprié. Cibus Euchariſtiæ eſt in tutelam: quandoquidem pane cœleſti vincuntur prorsùm inimici animæ, & contra ipſorum cuncta peſtifera tela, eſt protectio in Euchariſtia. Floridiſsimè Arator lib. 2. in *Act. Apoſtol.* verſ. 1143.

Thren. 3. 65.

Cadunt illius virtute inimici animæ.

Geneſ. 27. 7.

In bonum tela eſt protectio in Euchariſtia.

Arator.

Agnus Chriſtus eſt, panis quoque Chriſtus habetur
De cœlo, quòd & ipſe docet: qui corpore Ieſum
Sumpſerit, hoſte caret, nec iam ſua iura Pharao,
Ægyptuſque tenet. Mox omnia dæmonis arma
His merguntur aquis.

2 Imagines in corde mediâ phantaſiâ pingit penicillus dæmonis coloribus mundi, arte ſeu fallaciâ carnis, in quas animas videmus dulciter vehi, dum ius erat, fortiter in illas invehi, cùm inimici fiant animæ, qui fallere conantur, dum magis ſimulacris vanitatis alliciunt; quin ex tot vulneribus ac dolorum gravitate, medicinam conferat malagma reſipiſcentiæ: igitur quotidiè, ni uſquequaquè, experitur amicos ingratos, quos complectitur amicos. *Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis ſuis obſeſſus* (inquit Seneca *Epiſt.* 19.) *quàm quòd amicos ſibi putat, quibus ipſe non eſt.* En totum inimicorum embolium in vita, malitiâ hominis; verùm *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges*: quo igitur artificio, nec ulla in corde remanebit imago? *Inflammatum eſt cor meum*: ſubdit Pſaltes Regius, *Per puram dilectionem*: uti obſervat Lyra. Amor qui in huiuſmodi imagines, factus eſt commutatione cœleſtis, per flammam puriſſimæ dilectionis. Redigebar falſis amicis ad nihilum, & neſciebam: ſed præoccupans inſidias per divini amoris flammam; ad nihilum redegit cor inflammatum, per quas imagines redigebatur ad nihilum. Amici ſunt crudeles: & amore quo cor inflammatur, & non exuritur, horum ad nihilum reducuntur imagines; quoniam ubi amor cœleſtis inflammat pectora, non ſolùm illi, imò illorum imago non remanet adoranda. Sunt fortes cum imbecillibus, imbecilles autem cordibus fortibus; igitur ad inſtar crocodili fugâ concipiunt audaciam, cæterùm audaciâ fugam. Cor inflamatur igne panis cœleſtis, quo in fumum abeunt inimicorum imagines: ſiquidem nec ſimulachrum remanet, pane qui reficit, mundi qui languet, dæmonis qui decipit, carnis quæ inficit, protritis hoc ſcuto cœleſti & mundo, & dæmone, & carne.

Deludi ab amicis, grave.

Senec.

Pſalm. 72. 20. Verſ. 21.

Lyr.

Euchariſtiâ nec imago remanet inimicorum animæ.

Inimici animæ adinſtar crocodili.

3 Audiatur Gentium Doctor. *Nunc autem* (Chriſtus) *in conſummatione ſæculorum* (Bibl. Antiq. *In conſummationem ſæculorum*) *ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Omnia inveſtiganda. Quare *Nunc*? Si ſtantem videmus mundum, quomodò *In conſummationem ſæculorum*? Quo pacto in peccati deſtitutionem, ſi ubique fovet mundus criminum ignem? Quicquid Paulus exponit de hoſtia ſacrificij in calvario, in Euchariſtiæ holocauſto miramur diverſo modo. Nunc in hoſtia apparet, & mundus nunc evaneſcit. Evaneſcit mundus, quia non dilectus: & nunc vel ſtans deficit; qui vanis ſolidus; quippe diligentibus non mundum, omninò vanus, quaſi ipſis non eſſet mundus. Nunc igitur conſumitur, cùm cor illius obliviſcitur, atque in oblivione conſummatur: igitur pane Euchariſtiæ in hunc ingerente odium, igne averſionis ſtatim vel florens abit in nihilum. Quiſquis viderit mundum promittere delicias, & pro delicijs ſubmittere pœnas; magnificare cibum, & porrigere venenum, eò noxius, quo deauratius; cæcè expectat ſummam felicitatem, quam amplexam invenit incautè mortem: prorumpitque in odium dignum, quoniam eius amor fecit, quòd nec cogitaret odium. Undè cùm pane Euchariſtico oculos homo ad inſidias aperiat, ut quæ mundus depinxit, nequaquàm videat; licèt rutilent foriſecùs deſiderabilia in mundo, cunctorum actutum evaneſcit imago. Hinc pro *Deſtitutione*. exponunt deſtructionem. Reſipiſcentia in hoc cardine vertitur: tunc mundus ſanè deſtruitur, dum deſtituitur.

Hebr. 9. 26.

Bibl. Antiq.

Mundus vanis ſolidus, averſantibus vanus.

Pane Euchariſtico abit in nihilū.

Fallax eſt & falſus.

4 Præterea. Mundus ſtat, cui placet mundus: cui diſplicet, ſanè vanus. Diſplicet cui placet menſa cœleſtis, referta delicijs, antidoto vulnerum, medicinâ languorum, pignore gloriæ, depoſito gratiæ, cibo vitæ, quo ſatiatur eſuriens anima, quùm mundus ferculis vanis invitet in toxica. Iuxta odij vel amoris affectus ſtat vel occidit mundus: & accedenti cum gratia ac devotione ad altare, conſummatur gloria mundi; quoniam dum in corde uti in ſolio ſedet Chriſtus, in accipiente non remanet erga mundum nec affectus. Vide quæ diximus hìc *Tautol.* 3. *Didaſc.* 7.

Iuxta odij vel amoris affectus, occidit vel ſtat mundus.

5 Deinde. Pro *Conſummatione ſæculorum.* Alapide, *In perfectionem.* Homo quia ignorabat aſpidem ſub viridi herba guſtabat ſæculi toxica, quin capere poſſit ex tanta aviditate pharmacum reſipiſcentiæ; quippe ſerpentem pectore intimè fovebat, dum pede, quaſi deſpectu calcabat, adoratis inſidijs, etenim quouſque captus, non cogitabat ut compedes. Prævalebat mundi fallacia, quoniam Chriſtus nondum apparuerat in hoſtia. *Nunc apparuit*, & adhuc dolus mundi in cordibus ſedet. Etiam nunc? Næ. Necdum aperiuntur cæcutientium oculi, quippe faſcinant illos apparentiâ vanitatis doli veri; confirmante huiuſmodi cæcitatem relaxatione morum, qua accedunt ad auguſtum Sacramentum: igitur ſumpta Euchariſtia labuntur in vanitatem, cùm ſumi debeat in communicantium perfectionem. Iurè plorabile, quòd corda in virtutem communione tendant, & cum cœleſti pane relaxatiora vivant: quòd nunc mundus dato pane pectora rapiat hominum, cùm exhibeatur de cœlo in perfectionem virtutum, atque conſumptionem vanitatum.

Cur homo non cognoſcit fallaciā mundi?

Plorabile quòd anima non proficiat in virtute pane cœleſti.

6 Amore ſæculi, & ignorantiâ calamitatis peccati perit homo, quaſi contra tela ſcutum non haberet in Sacramento. Huius haud operantur virtutes, quoniam in corde ſervantur nocuæ atque delectabiles imagines: & Chriſtus nunc apparet per hoſtiam, ut ſimulachra mundi citò diſpereant & pereant. Dum flagrat domus vel glorioſa ſupellex per feneſtram eijcitur, vel florida imago rumpitur, vel ſpinther delectabile proteritur, vel ſimulachrum eburneum deſtituitur. Unde hoc? Quoniam in domo ignis eſt. Cuncta mundi bona ſunt imagines & ſimulachra, quæ in domo pectoris habent in delicijs corda, plauſu floridæ imaginis vanitatis, ſimulachri ſuperbiæ, idoli invidiæ, figuræ gulæ, ſtatuæ deſidiæ, effigiei luxuriæ, formæ avaritiæ, obumbrationis iræ, ita ut totius domus ſuppellectilia pretioſiora; ſint re vera ſeptem vitia capitalia. Oritur Sol cum igne cuncta vana devorante per hoſtiam, cordibus inferens cœlicam amoris flammam. Sunt ne domi ſimulachra pectoris? Sunt. Necdum eſt ignis. Sunt idola? Adhuc cor non tetigit Solis flamma, nec ſcintilla. Si ingreſſus eſſet vel levis Solis radius, totum arderet pectus, & expelleret quæque in nocumentum fovebat, & in mortem adamabat: exponiturque hoſtia in ſolio Sacramenti in deſtructionem velociſsimam peccati: igitur licèt mundi vanæ ſpecioſæque picturæ rapuerint cor; hoc igne apparent nec campi ubi Troia fuit.

Ubi amor cœleſtium, odiū meſt temporalium.

Adorantur mundi idola quia amoris cœleſtis in corde nulla inhæret ſcientilla.

7 Inter Catholicos viget ſanè frequentia Euchariſtiæ, ſed deſideratur affectus huius frequentiæ. Sol media cryſtallo excitat ignem: & Sol Iuſtitiæ in his ſpeciebus non inflammat hominem in amorem? Adhuc ſuſpirat frigidus, dum nemo abſconditur à calore eius? Ingens ignis, & ſine flamma cordis? Ni obex cor induraret, toto Sole utiquè arderet. Appropinquant igni altaris ſine fervore, devotionis uſu, & ſine devotione frequentiæ. Minimè diſponitur anima in flammam, dum ſumere conatur Euchariſtiam. Mundi idola adorantur, eorum templa nequaquàm demoliuntur: voluntas decepta ſequitur inſanias falſas, ratio ab illa trahitur in voluptatum vaniſsimas apparentias, conſervante memoriâ omnia ſomnia & ſi-

Cur homines non inflammantur igne Euchariſtiæ.

ſimulachra. Statua vacua mundi colitur, quin vel vacuitate cognoſcatur ſtatua. Tot idola, quot inclinationes; quin illuſa velit cognoſcere anima, dumtaxàt eſſe voluptatum imagines. Tot idola? Non eſt flamma. Nec favilla quidem concepta à corde: igitur ſi adeſſet ignis Sacramenti, quantumvis levis, omnia ſimulachra redigerentur in cineres. Unde nunc exponitur Chriſtus hoſtia in auguſto Sacramento, ut mundi idolorum nec remaneat imago. Accinit Sedulius in *Hymn. 1. v. 99.*

Sedul.

Te veniente Deus mundanus concidit error.
Occubuit mundus te veniente Deus.

Picinel.

8 Elephans pingitur apud Picinellum lib. 5. *Mund. ſymbol.* num. 292. cum hoc lemmate: *Ardet in arma.* Haud aliter Chriſtus Dominus in Euchariſtia: igitur utitur fulmine in tela nequiſsima diaboli, ita ut ſpoliatus, qui fortis armatus fugiat, vel ſicut coram Arca Dagon corruat. Antequàm Chriſtus panes multiplicaret (quo miraculo figurabatur Euchariſtia, ſiquidem eius multiplicatis ſpeciebus ſacramentalibus, multiplicatur præſentia) Diſcipulis, ait Lucas: *Dedit virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.* In facultate conceſſa diſcipulis, oſtendit virtutem cœlici panis: igitur ſacrà Euchariſtià confunduntur uſque in infernum dæmonia. Perpendamus periodum.

Panis Euchariſticus ardet in vitia.

Luc. 9. 1.

9 *Dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia.* Ad quid *omnia*, ſi ita intelligitur in propoſitione indefinita, poteſtate collatà ſuper dæmonia? Uſquequaquè & ubique parta occaſione, videtur ut ſingulare, quòd qui apparent homines, exitu tandem detegantur dæmones. Homo ingreditur devotè in Eccleſiam, & fœmina procax emiſsitijs oculis vocat, ab intentione revocat, & geſtu in aliena tutillat. Hæccine nequaquàm fœmina, ſed ſub fœminæ ſpecie cuncta dæmonia. Fœmina modeſtè confugit in templum, ut melior quàm introivit revertatur domum; ſed à procis impeditur, detinetur, cum ſcandalo audientium, offendiculis adſtantium. Hi homines? Non ſunt homines, ſed dæmones. Dæmones larvati, & magis nocui. Quare inſigni gratià, Chriſtus Apoſtolis poteſtatem tradidit ſuper omnia demonia. *Super dæmonia*, ut homines liberarentur dæmonibus: *Super omnia*, ut homines liberarentur ab hominibus: igitur inter illos, ut homo Proditor vixerat; nihilominùs tamen diabolus erat.

Qui homines dæmones ſub larva hominis.

10 Aliam proferamus cauſam. Haud differunt vitium, & dæmon. Sæpe tamquàm dæmon cognoſcitur, maximè conſuetudine vitium; quippe ſi dæmon torquet, & vitium ampliùs, quoniam voluntarium premit: attamen cor haud illud relinquit, ut vitium relinquat; ſed ut in aliud corruat, præceps ex vitijs in deteriora vitia, & ex malis moleſtis in moleſtiora, voluptatibus non mutatis, ſed commutatis, pro prolubio cupidinis & temporis. Non mutatur cauſa, ſed materia. Unde Sen. *Epiſt. 52. Vitia perſequere ſine modo, ſine fine, nam illis quoque nec finis eſt, nec modus.* Et antequàm proponatur vel in umbra Sacramentum, expulſio etiam omnium deſignatur demoniorum; quippequàm nulla Sacramenti efficacia, ni expellantur à corde cum vitijs omnia dæmonia. Omnia expellenda à corde, ut ſit virtus Sacramenti: quandoquidem ni ſint omnia, nulla gratia.

In vitij mutatur materia, non cauſa.

Senec.

Vitium dæmon.

Ni expellantur omnia, nulla eſt vel medicinæ efficacia.

11 *Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra*: ait Iſaias. Ita factum referunt, cùm Chriſtus Dominus ingrederetur Ægyptum, Hieronym. hìc, Palladius in *Lauſiac.* Chriſtianus Adrichomius in *Pharan* num. 72. & demùm Ruffinus lib. 2. cap. 7. *Vidimus* (inquit) *in Thebaide, in finibus Hermopolis templum, in quo ingreſſo urbem Salvatore, ceciderunt omnia ſimulachra in faciem ſuper terram.* Non ſufficit hoc vel illud? Nullo modo. Omnia conterenda, ut ingrediatur Salvator: igitur haud obtinetur gratia, ni concidant omnia. *Ægyptus totus orbis intelligitur ſuperſtitionis*: ait Tertullianus *Contr. Iudæos* cap. 9. Simulachra Ægypti oracula dæmonum: Dominus ſuper nubem levem, eſt Chriſtus ſub ſpeciebus ſacramentalibus, ingrediens ut habitet in hominum cordibus. Sunt ſimulachra? Corruant omnia: igitur par non eſt, dirigi adorationem in Dominum & in dæmonem. Omnia proterenda, ubi Chriſtus ſub his ſpeciebus illuſtrat corda: igitur impediuntur influxus benevoli Iuſtitiæ Solis, cupiditatum ſeu dæmonum vaniſsimis ſimulachris; cùm ille de cœlo deſcendat, ut ſuſcipientes ad æthera tollat. Frequenter homines accedunt ad altare, ſed frigidè, quia frequenter. Quodnam emolumentum ex frequentia? Nulla, cùm ſit univerſalis, videtur ulcerum medicina. Nullus apparet fructus, languet affectus, ratio gemit ſub tyrannide appetituum, voluntas cæca ambit iugum. Quid hoc Catholicè? Victa ſunt aliqua dæmonum ſimulachra, ſed non omnia. Adhuc remanet caput in Hydra, ex quo repullulant plura, quàm ſecta: præcluditurque oſtium ingredienti Salvatori; ubi aliquod idolum, dæmonis ſimulachrum latet in pectore: unde datur hoccine pane poteſtas ſuper omnes vitio-

Iſai. 19. 1.

Ruffin.

Ut ingrediatur Salvator in cordis hoſpitiũ, omnia idola conterenda vitiorum.

Tertul.

Nulla, ni omnia.

Cum Euchariſtia inania dæmonis tela.

tiorum dæmones; quippe parvi momenti communio, ni ſint omnes. Pluant igitur totius inferni ſagittæ. Quid hoc pane? Sine acumine. Vibrantur, verùm franguntur, vel retorquentur. Appoſitiùs dicam, quàm Lucanus lib. 6. *Bell. Civil.* v. 209.

Lucan.

Omne repercuſſum ſqualenti miſsile tergo
Frangit, & hærentes mota cute diſcutit haſtas.
Viſcera tuta latent penitùs citraque cruorem
Confixæ ſtant tela feræ, tot fracta ſagittis,
Tot iaculis unam non explens vulnera mortem.

12 Etiam vincitur indomita caro, iſthoc ſingulari Sacramento. *Habes* (ait Auguſtinus in *Pſalm. 143.*) *contra quod pugnes in te: habes quod expugnes in te: ſed habes quem invoces, ut pugnantem adiuvet te, & vincentem coronet te.* Huius inimici ſagittæ, magis acutæ, quia blandæ, & quia abundant virtute non aliundè, niſi ex noſtra poteſtate, nihil veneni cogitante periculi neſcientià, quouſque voluntas perpetitur vulnerata delicijs ſpecie blandulis, tectis arte ſupplantationis decipulis.

Auguſt.

Quare?

Caro inimicus acrior inter animæ hoſtes

Gregor.

Exitioſa caro mundi labentis amica,
Cœleſti ac vitæ prælia dura movens.
Hoſtis amica caro, blandiſsima pugna, bonumque
Infidum, vetitos ſemper edenſque cibos.
Cœnum, maſſa gravis plumbi, limoſa catena
Bellua pugnaci prodita materià.

Canit Gregorius Nazianzen. *Carm. 18. Adverſ. carn.* Videris Bernardum de *Cognition. human. condition.* cap. 12. & 13. Illam fovemus, ut illi cedamus, blandientes hoſtibus, ut mulſis ſuffocemur voluptatibus; quin præſentiamus quamlibet indulgentiam, eſſe indulgenti ſagittam. Habemus in nobis contra quod pugnemus, quod expugnemus, & vincentes triumphum reportemus glorioſum; quippe illuſtrior victoria eſt vincere ſemetipſum; ſiquidem inſigne omninò ſagittas ferre, & ferendo frangere. Magna ſanè pugna, quippe fragilis conditio: verùm adiuvantem panem habemus pro victoria in Sacramento.

Magnus conflictus contra ſe pugnare, & ſeſe vincere.

13 In exemplari dato Moyſi pro ſtructura Tabernaculi, exponitur altare holocauſtorum, in quo cinis videbatur ſpecioſitas pinguium victimarum. Non ex auro conſtruitur, neque ex æreis laminis ſpecularibus, niſi forinſecùs, intrinſecùs autem licèt nobili, dumtaxàt tigno formatur. *Facies* (dicitur ei) *altare ex lignis Setim.* Setim ſpina alba dicitur. Caveat qui ad altare albedine inconſultò ducitur, ne pungatur. Ni ſpinas arbitreris, conditionem & ſtimulos carnis, quæ quidem ita felix ictibus mortificationis; ut in illa cuius in ſpinas naturalis propenſio, fiat habitaculum Domino.

Setim alba ſpina

Exod. 27. 1.

Mortificatione caro habitaculũ Domino.

14 De lignis ergo Setim fit altare holocauſtorum. Difficile videtur huiuſmodi fabrefactum, in quo perpetuò vigebat incendium: quare aliquibus placuit tigna eſſe incluſa, ſeu clauſa inter laminas æreas, ne conſumerentur per urentes flammas. Lipomanus verò in *Caten.* aſſerit, exteriùs ornari laminis, interiùs nuda eſſe tigna, per miraculum ab igne ſervata. Sit. Cæterùm unde ſpectabile miraculum ut combuſtibile ab igne conſervaretur illæſum? An quia lignum Setim, Amianto lapidi ſimile: igne non læditur, ſed flammis purificatur? Eſſet utique novum, verùm nequaquàm prodigium: unde ergo prodigium, quòd ligna huius altaris eſſent illæſa, quaſi ibi non eſſet flamma? Quotidiè agnus immolabatur manè, & veſpere, ex quo ſacrificium iuge. Huiuſmodi miraculum non à ligno, ſed ab agno, typo Sacramenti altaris, ubi agnus Chriſtus igne torretur amoris. Quid faciet veritas in affectionibus, ubi umbra ita in lignis operabatur inanibus? Magnum utique: igitur intemeratum in altari conſervabatur combuſtibile, quaſi tabulæ eſſent non ex ligno, ſed ex ære.

Lipom.

Setim lignum incombuſtibile.

Unde?

15 Facilis allegoria: Agnus ſignificabat Chriſtum Dominum in altari pectoris hominis, eius amore flagrantis. Tabulæ ſunt fragilitas carnis indomitæ: ignis voracitas & inſaturitas, potiùs inſatiabilitas luxuriæ. Altare holocauſtorum eſt in tranſitu ad Sancta Sanctorum: ſymbolum gloriæ, quo tendimus peregrini. Ne perveniamus, nec in finem optatum properemus, quas non compedes inijciunt propenſiones carnis? Etiam viam ſepiunt acutiſsimis ſpinis, ut vel dolore reſiliant vulnere pedes. Ignis ſenſibilium retinaculum eſt appetitum rationalium, atque virtutum incendium, eò ardentius, quo reſiſtentià vel in intimis occultius, & flamma proxima cum fragilitate ſumma. Plures per globos flammarum tranſeunt, & ab igne non læduntur. Ibi flamma exardeſcit, & in carne. Quid? Reſervatur combuſtibile? Sanè. Accipit ab agno charitate toſto ſuperiores flammas: & inter carnis flammas, rutilat victrix fragilitas.

Hoc ſacramento vel inter luxuriæ flammas, victrix eſt carnis fragilitas.

16 Ligna dicuntur & ſimul lapides, vel ædinſtar Amianti, lapides ligna. Clareſcit debilitas conditionis noſtræ, & unà virtus agni cœleſtis, qui quotidiè immolatur, ut debile confortetur. Fragilitas in conditione ligni, præſtantia datæ virtutis in lapide: igitur vel habentes ignem affectionum proxi-

Nec habet fumum proximà ſtã unà affectionum.

ximum, conſcientiæ nec habent fumum. Lignum, & Lapis Amiantus: igitur anima, dum qui à carne egreditur ignis, incluſam premit, purior evadit. Lapis & lignum, combuſtibile, ſed incombuſtum: quandoquidem Sacramenti virtute, conſcientiæ conſervantur illæſæ, quaſi intra clauſtra cordis, non eſſet fornax flagrans voracis ignis. Lapis & lignum, ſed omninò illæſum, quaſi incendium formaretur in lapidibus, & nequaquàm in tabullis cordis conditione carnalibus: igitur pro fragilitatis excidio per affectionum incendium, ignis extinguitur inurentium affectionum, quaſi eſſent pectora ſaxa, & non tigna affectu corruptibilia.

17 Denique: propter mundi & diaboli incurſus, laminis æris ornatur altare, ſed forinſecùs, ne noceant ſpecies ſenſibiles exteriores advenientes, & embolio voluptatum focum augeant, dum ſopire volunt. Quoad intra fragilitas eſt conſtitutio, vel cordis altare conſtat ex carne & ex ſanguine, fomitibus ignis affectus ardentis, & caſus indeclinabilis; cùm difficile ſit ignem flare, & flando extinguere. Hæc materia, ſcilicèt tigna conditionis fragilia, & ex Adamo corrupta. Ideo læditur? Neutiquam. Non habent proximam, imò intimam flammam? Habet, cæterùm flamma non nocet: igitur cùm in cuncta adverſa, tam externa, quàm interna, ſit protectio in Euchariſtia; vel tabulæ ab igne proximo illæſæ ſervantur: ut Euchariſtiæ effectus in humana fragilitate comprobentur: ſiquidem agno immaculato, animæ cœleſti cibo, in fragilitate hominis, contra ſtimulos igniferos carnis, rutilat virtus validiſsima adamantis, atque fortitudo ſolidiſsimi æris. Eſu balſami vipera non virulenta; quippe licèt habeat venenum, nequaquàm noxium. Ita enim vipera caro, dum animæ ex Euchariſtia ſit paſtus, perdit ob pabula virus. Quicquid mortiferum anima incurioſè per ſenſus biberit, non nocebit: igitur ob pabula balſami, nulla virtus æſt veneni; ſopiente Sacramento activitatem ignis, quin ſuccumbat anima nec veneno, nec telis: quippe licèt cuncta adverſa, & inimicorum adoleſcat furor,

Hoc Sacramento pro fragilitate corporis introducitur ſoliditas adamantis.

Vipera eſu balſami non nocua.

Omnia vincit amor. Virgil.

DIDASCALIA VI.

Panis Euchariſticus eſt panis ſingularis intellectus.

1 ITA ex Eccleſiaſtico deſignat N. Gregorius Homil. 15. in *Evang.* Longè à cibo intellectus videtur Euchariſticus panis, cùm erga illum ut intelligat homo, crebra patiatur deliquia rationis. Gregor. Magn.

Quod non capis, quod non vides.

Canit D. Thomas *Opuſcul.* 57. Quo ergo ingenio dicitur panis intelligentiæ, quem ratio non comprehendit, ſacer panis Euchariſtiæ? Intellectus ad ſe trahit, quicquid intelligit. Cibus corporis convertitur in ſubſtantiam comedentis: cibus mentis convertit in propriam intellectam ſubſtantiam: & Euchariſticus cibus dicitur panis & panis ſingularis intellectus; quippe Chriſtus medijs ſpeciebus ſacri panis, in ſe transformat comedentes homines. *Fac cibos, ut comedam:* dixit Iſaäc Eſau. Si eſca exponitur, ad quid? Eſt cibus qui non in ſubſtantiam aliti? Utique. Chriſtus in Sacramento Euchariſtiæ: ſiquidem adinſtar hami capitur ut capiat, & ſuſcipientem ſuſcipiat. Cibi dicuntur ab Iſaäc, ut comedantur. Cibi erant corporis. Euchariſticus panis eſt cibus mentis; quoniam quem capientem capit, in ſe mirabilitèr convertit.

D. Tho. Chriſtus in ſe convertit communicantes.

Geneſ. 27. 7. Cur adinſtar hami?

2 *Caro mea verè eſt cibus:* dixit Largitor immortalitatis turbis incredulis. Grave omninò argumentum continet teſtimonium. In Euchariſtia ſub ſpecie panis exponitur eius caro, ſed neſcitur unde caro cibus, & unde verus. Non cibus ſuaptè natura accidentia ſine propria ſubſtantia, uti ſunt in Euchariſtia; igitur ſi cibus convertitur in ſubſtantiam aliti nutritione, ſubſtantia non alitur accidenti, nec poteſt dirigi in eſcam, quippe non habet ſubſtantiam. Deinde: quod manducatur, in manducantem convertitur. Subſtantia corporis Chriſti non convertitur in ſuſcipientem. Qua ergo lege caro eius erit cibus, & cibus verus? Quippe eſt ſingularis cibus potiùs alimentum mentis, quàm eſca corporis, licèt neceſſaria corporalis ſumptio, ut anima fruatur intellectus alimento. In hoc illuſtri convivio non oſtenditur in eſcam abſolutè caro, ſed eius caro exhibetur in eſcam, *Caro mea:* dicit. In cibis corporis, ſubſtantia cibi convertitur in ſubſtantiam aliti, quod proprietas nutritionis, & eſcæ communis. Hic Chriſtus tradit ſemetipſum in ſingulare alimentum: & quia ſingulare (dum paſcens convertit in ſe commune) ut exhibeant effectus veram eſcam; manducantem convertit in alimenti ſubſtantiam.

Ioan. 6. 55.

Caro Chriſti in Euchariſtia cibus ſingularis.

3 Aſtruit illicò huiuſmodi proprietatem, igitur ſubdit: *Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres veſtri Manna.* Hic panis non eſt cibus, ſicut cibus fuit Manna, quod veſtri manducarunt patres, quouſque ad terram pervenirent promiſsionis. Nulla in tot umbris veteris legis fulſit ampliùs, quàm Manna cibus. Nocte decidebat, quod ſtatum fidei deſignat. Poſt tranſitum maris datum, quia panis verè cœleſtis conceditur poſt baptiſmum. Quotidiè concedebatur in eſcam, & nobis panis quotidianus ſuperſubſtantialis diſpenſatur in vitam. Non pluebant nubes in Sabbato; quia ceſſabit Sacramentum, cùm venerit beatitudo. Æqualis menſura cunctis, ſiquidem idem, eſtò ſpecies ſacramentales ſint maiores, vel minores. Sic alia de quibus *Didaſc. ſeq.* à num. 5. Si ergo inter umbram & veritatem, inter [illegible]ram & formam eſt adæquata proporti[illegible]are reijcitur à Salvatore tam apta ſimilitudo, ut non ſicut manducaverunt patres illorum Manna, caro Chriſti in cibum ſit? Differentiam ſubſtantiæ demonſtratur in modo. Panis Manna datus fuit ad veſcendum: panis Chriſti etiam ad manducandum. Uterque hominibus alimentum, ſed habuerunt ex ſumptione diverſum modum. Panis ille erat corporis, hic mentis. Panis mentis convertit hominem in ſe. Panis corporis non ſic, quia convertitur in ſubſtantiam comedentis, per inſitam facultatem nutritionis: & longè patet Manna præſtantiſsimus cibus, à præſtantia contenti ſub ſacramentalibus ſpeciebus; ſiquidem ille etſi cœleſtis panis convertebatur in mortalem hominem, & hoc pane homo mortalis convertitur in cœleſtem.

Verſ. 58.

Manna cur figura perſpicuior Sacramenti Euchariſtiæ?

Diſcrimen inter panẽ Manna, & corpus Chriſti.

4 Quod in Hercule, & Triptolemo à Poëtis fictum, in ſuſcipientibus Euchariſtiam relucet verum: unde D. Thomas ubi ſupr. infit: *Dei Filius ſuæ divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut homines deos faceret factus homo.* Erant enim illi uti ex ſemine mortali nati, miſeri homines, ſed lacte Dearum facti mortales cœleſtes; igitur Triptolemus ubera ſuxit Cereris, Hercules verò Iunonis. Vide Natalem Comitem in *Mytholog.* lib. 2. cap. 4. & lib. 5. cap. 14. Ceres dicitur Panis, Iuno Amor: & patet verum, quod fictum; igitur pane Euchariſtico, amore qui mortalis immortalis præſtat homo. Ideo dicitur *Panis ſuperſubſtantialis:* ideſt, ſuper omnem ſubſtantiam; cùm quælibet paſta convertatur in alitum, & hac uti novà, quicumque veſcitur, convertatur in cibum. Perpende. *Panem noſtrum da nobis.* Quomodò petimus dari nobis, ſi noſtrum! Vel quomodò noſtrum, ſi gratis conceditur nobis? Quia ſuperſubſtantialis eſt. Superſubſtantialitate nos iungit ſibi, mirabili unione: diciturque noſter, cùm noſter non ſit, quia nos convertit in ſe. Nobis datur eius caro ſub ſpecie panis; & dum datur Chriſtus nobis, panem iurè dicimus noſtrum, quia convertimur in Chriſtum.

D. Tho.

Unde homines facti cœleſtes?

Matth. 6. 11.

Propriâ carne Chriſti.

5 *Non ſicut manducaverunt Manna.* Quare ergo? Quia *mortui ſunt.* Panis qui convertitur in alitum, corrumpitur: mors ex corruptione generatur. Ita Manna. Panis cœleſtis non ſic: quippequàm cùm illos paſtos transformet amore in ſe; expellit uti ſuperſubſtantialis alimenti conditionem, conferens mortalibus immortalitatis beatitudinem. *Non ſicut manducaverunt Manna, & mortui ſunt.* Mortui ſunt, quippe Manna panis non vivus, tametſi cœleſtis. Panis Chriſti *panis vivus* & vitalis. Panis ſine vita transformatur in comedentis ſubſtantiam, comedens autem non tranſmutatur in eſcam: & hunc panem non comedent Catholici, ſicut Manna comederunt patres veſtri; quippequàm uti panis vitalis, in ſe dignè transformabit comedentes.

Ioann. ubi ſupr.

Confert immortalitatem mortalibus.

Verſ. 52.

Cibus vitalis eſt.

6 Sacramentum amoris extollitur meritò huiuſmodi Sacramentum, quo ignis cœleſtis mittitur in terram cordium. Aptè inſignia amoris ignis, ut notetur in Sacramento effectus ſingularis panis vitalis. Viva flamma in Euchariſtia rutilat, & ſingularem cibum amor Chriſti accedentibus demonſtrat: exponiturque ſtemma voracis ignis in Sacramento amoris; quoniam amor in flammas trahit alitum pane cor, ſicut ignis obvia quæque cuncta convertit in ſe. De altari ſumitur ignitus calculus, dum ſumitur cibus: cibus eſt ignis vel intima particula cordis: igitur ſi ignis cuncta transformat in ſubſtantiam propriam; ignis panis altaris corda convertit in flammam.

Cur huiuſmodi Sacramentum Sacramentum dicitur amoris?

Cur confertur igni?

7 Sacramentum eſt amoris, & non dicitur panis voluntatis, ſed ſingularis *panis intellectus*, ut ſit ſpecialiſsimus cibus. Amor effectus eſt voluntatis, in Sacramento divitiæ effunduntur amoris. Quare igitur ubi charitatis dona, ubi dilectionis ſigna, non dicitur panis voluntatis, ſed cibus intellectionis? Non eſſet ita eximius, ſi eſſet panis intellectus, cùm aſtruat exigua, quæcumque hu-

Eccli. 15. 3.

humana comprehendit intelligentia, ſintque maiores voluntatis vires, ſiquidem vel incomprehenſibilia comprehendit votis. Quomodò ergo aptiùs & vividiùs intellectus exprimit, quàm voluntas operatione deſcribit? A Philoſopho definiuntur intellectus & voluntatis operationes, ex eo quòd obiecta in ſe convertit intellectus, & voluntas convertitur in obiecta. Voluntas fertur amatis, intellectus non fertur intellectis: & huiuſmodi ſingularis panis non dicitur voluntatis, ſed intellectionis; igitur activà igniferà flammà in ſe convertit comedentium corda.

Convertit in ſe manducantium corda.

8 Ecce diſcrimen inter Manna & Euchariſticum panem. *Non ſicut manducaverunt patres veſtri Manna. Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.* Etiam ille. *Panem cœli dedit eis*: canit David. Unde igitur panis hic non erit ſicut Manna? Manna deſerviebat voluntati. Panis hic intellectioni. Uti panis voluntatis, *ad quod quiſque volebat convertebatur*; & licèt omne delectamentum habuerit, cum huiuſmodi cibo nihil æſtimabile habet. Æſtimabile, uti novum, quòd comedentes convertantur in cibum. Hunc effectum nanciſcitur panis hic: haudquaquàm convertitur, ſicut converſum Manna: igitur non voluntatis, ſed panis intellectionis, in ſe transformat de cibo communicantes. *Non ſicut Manna.* O ſummi amoris flamma! Perſæpe procedis ultrà. Subſtantià tuà dulcedinem tuam, quam in filios habes oſtendiſti, igitur ſubſtantia ſua, ſine propria ſubſtantia adeſt in Euchariſtico pane: qui quidem non ſicut Manna, voluntatis cibus; ſed ſicut panis ſingularis intellectus, hominum animas accedentium ad menſam, mutas in propriam ſubſtantiam.

Ioann. ubi ſupr.
Pſalm. 77.24.
Sapien. 16.22.
Et ſubſtantiam alienam in propriam.

O quoties anima vitiorum peſte repulsà,
Senſimus incaluiſſe Deo? ——
Atque ubi peccatum regnaverat, aurea templi
Atria conſtituens, texit ſpectamine morum
Ornamenta animæ?

Prudent.

Succinit Prudentius in *Pſychmoach.* v. 968. Ergo anima ſatagat, ut plena Deo ſcintillis incaleſcat.

9 *Non ſicut manducaverunt patres veſtri Manna.* Quare non? Quia *non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.* Manna non erat verus panis? Erat. Non dicitur hic verus, quia ille falſus, ſed quia ſuavior hic & nobilior. Unde de Cerere canit Ovidius lib. 4. *Faſtor.*

Ubi ſupr. Verſ. 32

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato,
Mutàvit glandes utiliore cibo.

Ovid.

Panis verè ſingularis eſt, qui dat homini vitam, quam habet; non qui accipit vitam ab homine. Manna nequaquàm conferebat vitam, ſed dumtaxàt conſervabat. Veritas panis cœleſtis ſtat in conditione largiendæ vitalitatis: & huiuſmodi alimentum dicitur iurè verum, quoniam homines paſti per illud vivunt.

Eſt panis verus.

10 *Qui manducat me, ipſe vivet propter me*: dixit in eodem ſermone Aſſertor. Nemo manducat, quin vivat: quomodò igitur vivet per quod manducat? Vel homo accedit, ut ab illo ſumatur cibus, vivus, vel mortuus? Hoc eſt, vel dignè, vel indignè: dignè in gratia, animæ vità, indignè culpà, qua moritur anima. Si accedit mortuus, à Sacramento non accipit vitam. Si accedit vivus, iam habet vitam per gratiam. Quo igitur pacto per Chriſtum in pane ſacro Euchariſtico, vivet verè, qui ſuſceperit homo? Quippe huiuſmodi cibus in ſe veſcentem convertit: & non vivit vivens homo, quia eius vita abſcondita latet cum Chriſto in Deo. Hic panis ſubtrahit ab homine, ut vivat vità, quam habet: & vivit vivens propter panem vivum; quippe in Chriſtum homo converſus per alimentum.

Verſ. 57
Per Euchariſtiæ alimentum, homo transformatur in Chriſtum.

11 Exemplum huius effectus patet in ſurculo, qui vivit, ſed non vivit propter ſe.

Sed lignum vivum eſt, viridi quod ſtirpe reciſum,
Quamvis nullus alat terreni ceſpitis humor.

Prudent.

Ita canit Prudentius ubi dudùm v. 947. Strictim tango materiam, de qua latiùs alibi agam. *O Sacramentum pietatis, ò ſignum unitatis, ò vinculum charitatis! Qui vult vivere* (inquit Auguſtinus tract. 26. in *Ioan.*) *habet, ubi vivat; habet, unde vivat, accedat, incorporetur, ut vivificetur.* Quid hoc? Incorporetur? Uniatur. Nullo modo. Per iſthoc Sacramentum fit ſuſcepti & ſuſcipientis incorporatio. Si unio dumtaxàt, eſſet vinculum voluntatis cum iniuria ſummi amoris, qui non ſatagit de unione, ſed de unitate. Per incorporationem, qui duo non duo; igitur non duplex, ſed una vita in ſuſcipienti & ſuſcepto: & Auguſtinus meditanter non dicit, quòd ſuſcipiens uniatur, ſed incorporetur; quia per venerabile auguſtum Sacramentum, qui diſcreti iam ſunt unum: & ſi unum uterque fit; cùm non ſit aliud quàm ille, qui vivit nequaquàm vivit per ſe.

Auguſt.
Amor ſummus non tam quærit unionē, quā unitatem.

12 *Unus panis, & unum corpus multi ſumus*: dixit Paulus. Utitur ſæpe inauditis periodis Doctor Gentium, opprimentibus in diſquiſitionem ingenia hominum. Unitas non poteſt dividi, quippe diviſio

1. Cor. 10. 17.

viſio excludit unitatem, multitudo ſolummodò poteſt obtinere unionem. Quo ergo pacto ubi multos demonſtrat, in multis non unionem, ſed unitatem deſignat? Omnes participant de uno pane in Sacramento altaris, in ſe convertente comedentes: & pro unione aptè dicit unitatem, quippe hoc pane nanciſcuntur cum Chriſto incorporationem. Non ſunt uti corpora heterogenea, quæ unionem tantùm admittunt; ſed homogenea, quæ cum alijs unum faciunt: & Paulus dicit ex multis unum corpus, ubi cœleſtis proponitur cibus; ſiquidem mirabili cibativo Sacramento inter Chriſtum & homines nulla diſtinctio. In uno corpore non eſt duplex vita, igitur non duplex forma. Vitam collatam per Euchariſtiam conatur indicere Paulus: & ex multis iurè dicit unum corpus; quia cùm diverſa idem Sacramento ſint, qui vivunt cœleſti vità, minimè vivunt per ſe.

Homines pane cœlico incorporantur cum Chriſto.

13 Probat in ſe Paulus unde vivit, & ubi vivit. *Vivo autem iam non ego.* An quia mortuus mundo? An quia per pœnitentiam ipſe & alius? Diximus *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 7. num. 10. Ipſe eſt, qui vivit, cùm non vivat ipſe. Quomodò non vivit & vivit? Cur non vivit, ſi vitam habet? Quia licèt habeat in ſe vitalitatis formam, per ſe nullam habet vitam. *Vivit* (ſubdit) *in me Chriſtus.* Vivat: verùm ſi in homine nequit eſſe duplex forma, quo ingenio non propria, ſed aliena vivit vità? Non eſt aliena. Non unitur: cum Chriſto, qui in illo vivit, incorporatur. Vitam habet, ſed vità, quam habet, minimè vivit; igitur licèt in ſe vita ſit, dum in illo Chriſtus vivit, neutiquàm vivit per ſe. Vivit ipſe, verùm non ipſe qui vivit. Si ipſe Paulus, ubi in illo iucundè vivebat Chriſtus; eſſet unio per amoris flammas, attamen per amorem non eſſet unitas. Eſſet ſumma coniunctio, nequaquàm incorporatio: & licèt ſit ipſe Paulus, Chriſto in illo vivente non eſt ipſe; quippequàm cùm amore iam ſine unum, nulla eſt diſtinctio inter Chriſtum & Paulum.

Galat. 2. 20.
Quomodò ſacramento vivit homo & non vivit homo?
Nulla diſtinctio inter Chriſtum & Paulum, dū in Paulo Chriſti vita.

14 Hæc inſignis vita in Sacramento proponitur. *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Ecce ſignum unitatis. *Ipſe.* Si propter Chriſtum, qui manducat vivit; iam non ipſe: & dicitur ipſe qui manducat, & quòd ipſe non vivat; ut effectus eximius huius Sacramenti pateat: ſiquidem qui alius, iam non alius per panem cœleſtem, quia cum Chriſto nanciſcitur miram incorporationem. Mutatur vita in excellentiorem vitam per cœleſtem immutantem eſcam. Ipſe qui vivebat vivit, ſed aliter, quaſi non eſſet ipſe qui vivebat, cùm vivat radice gratiæ, quæ vita vitæ, & ſuperiori modo latens in hoc Sacramento. Unde ipſe & non ipſe ſacro pane, quo iam non vivit per ſe; igitur ex duobus vitis dumtaxàt unica ſit. Conſortes efficimur divinæ naturæ, huius panis communione. *Parvula benedictio totum hominem in ſe ipſum attrahit, & gratia replet* (ait Cyrillus Alexandr. lib. 4. in *Ioann.* cap. 17.) *ſi peccando indignus es & peccare non deſinis, expers omninò eris vivificæ huius ſanctificationis.* Accedamus igitur ſine obice, ut vivificemur pane. Incorporemur Sacramento unitatis, vinculo amoris, ſtudentes animæ ornamentis; quibus, ut canit ubi ſuprà Prudentius v. 982.

Ioann. ubi ſup.
Homo gaudet huiuſmodi eſca excellentiore vita
Cyr. Alexand.

—— —— *Oblectata decore*
Æternum ſolio dives Sapientia regnet.

DIDASCALIA VII.

Euchariſtia ſchola nova eſt amoris.

1 PAnis intellectus eſt, & nova ſchola, quia in illa amittitur intellectus. *Ibi me docebis*: clamabat Sponſa. Quid? *Inebriationem*: ſubdit Ghislerius. Singularis planè ſchola, ubi traditur doctrina, quando deeſt intelligentia. *Ibi me docebis*, & non alibi; quippe ſine facultate mentis lumen refulget intellectionis, atque ſine cognitione litteraturæ, introit anima in potentias Domini, à quo inſtituta nova ſchola, & ſingularia principia, quibus ratio intellecta non videt, & quæ videt non intelligit. Retorqueatur Ethnicus lib. 5. *Triſt. Eleg.* 12.

Cant. 8. 2.
Ghisler.
Hic homo intellecta non videt, & quę videt non intelligit.

Fractæ cadet tantæ ſapientia mole ruinæ.
Plus valet humanis viribus amor Dei.

Ovid.

Igitur ut annuncient homines ſtudia eius, ultra principia cognita, in fidei principia,

Sub diverſis ſpeciebus,
Signis tantùm & non rebus,
Latent res eximiæ.

D. Tho.

2 Mos pridem inolevit tam apud Sacros, quàm apud Profanos, ænigmata inter convivia proponere, ut etiam cibus miniſtraretur menti, dum indulgebatur corpori. Patet in Sacris *Iudic.* 14. 12. 3. Eſdr. 3. à num. 10. & apud Ambroſium *Epiſt.* 70. Apud Profanos magna ſeges. Macrob. lib. 7. *Saturnal.* cap. 1. Plinius *lib.* 3. *Epiſt.* 12. Lampridius in *Alexand. Sever.* Athen. lib. 10. *Dipnoſoph.* cap. 17. Aul. Gellius lib. 18. *Noct. Atticar.* cap. 2. Plutarch. lib. 1. *Sympoſ.* cap. 1. Cæl. Rhodigin. lib. 15. *Antiq. lect.* cap.

Olim in convivijs ænigmata propoſita.

cap. 4. Lil. Gregor. Girald. Libell. de *Ænigmatib.* & Pint. Remirez in *Spicileg.* tract. 1. cap. 14. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, dum caro & ſanguis Chriſti ſunt ſub panis & vini ſpecie. Accipientes Manna, dixerunt ad invicem: *Quid eſt hoc?* Quid hoc? aptiùs poſſumus dicere. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Vinum, panis, nec panis nec vinum? Sanguis ſub ſpecie vini: Caro ſub ſpecie panis, quin ſit in ſpeciebus ſubſtantia panis & vini: Quid eſt hoc? Accidens ſine propria ſubſtantia, ſubſtantia ſub ſpecie peregrina, ſine ſubiecto connaturali accidentia, eſſe ibi ſubſtantiam & non eſſe, ſenſus falli, oculos cæcè per fidem videre, cognitionem contra cognitionem adipiſci, & miſteria inviſibiliter aſpici; quomodò poſſunt hæc fieri? Gryphus eſt, ac labyrinthus, in quo error ſenſuum, cognitionis denotans rectitudinem, intellectum perſpicuiorem pro obſequio Chriſti redigit in captivitatem: igitur dum Sacramentum explicat, implicat; & quæ cogitat non cogitat. Quid hoc? Totum in nova ſchola ænigmaticum, quod intelligitur abundè non intellectum.

Exod. 16. 15.

Euchariſtia Sacramentum ænigmaticũ.

Ovid.

Omnia deficiunt, animus tamen omnia vincit,
Ille etiam vires corpus habere facit.

Diſcat Gentilis ex Ethnico lib. 2. de *Pont.* Eleg. 7. & ex Manil. lib. 1. *Aſtronom.* cap. 1. v. 35. & lib. 4. cap. 5. v. 66.

Manil.

——— Veneranda
Non ſpecies tantũ, ſed & ipſa potentia rerũ.
Materiæ ne quære modum, ſed perſpice vires,
Quas ratio, non pondus habet. Ratio omnia vincit.
Ne dubites homini divinos credere viſus.
Iam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera Numen.

Quid pro beneficio rependendo ius ſit facere, etiam dicit ibid. cap. 1. v. 406.

Idem.

Quid cœlo dabimus? Quãtum eſt, quod veneat omne.
Impendendus homo eſt, Deus eſſe ut poſſit in ipſo.

3 Etiam apud Profanos obumbratum hoc prodigium. Ardebat Cererem flagrantiſsime Neptunus in unionem reciprocam animarum, rimans occaſionem ut ſibi raperet: at cùm aliquando obtineret, corpus avolavit, & peplum quo amiciebatur in manu Amaſij reliquit. Videſis Silveſtrum à Petra-Sancta de *Symbol. heroic.* lib. 9. cap. 5. Quid proſpicientibus umbram, expreſsius atque ſignatius in hanc cauſam? Ceres ſignificat, uti vidimus, panem: ideo pro roſis, coronata ſpicis, uti aſſerit Vincentius Chartarius in *Magn. Matre*, fol. 152. cauſaque deſcribitur ab Ovidio ubi ſup.

Peplum ex Cerere quid ſignificet?

Petr. Sanct.

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris. Ovid.

Sacramentum eſt amoris huiuſmodi Sacramentum, ad trahendos homines inſtitutum. In pane Dilectus reliquit philtrum: trahimur, ſed abeſt à pane panis, ſtudio & ingenio amoris: habemuſque Deum abſconditum, ſub velamine tantùm accidentium. Longè aliter in Euchariſtiæ myſterio, quod in Cereris raptu. In ſignum amoris Ceres corpus ſubtraxit, & dumtaxàt illius velamen reliquit. Ultra cogitationes hominum, erga hos procedit divini amoris ſtudium: igitur ut eos ad ſe trahat hoccine artificio Chriſtus, ſub velo accidentium ipſius manet ſacratiſsimum corpus. Ceres erat in terra, & evolavit in cœlum, Numinum thronum: Chriſtus verò ut reficiatur ſpeciebus ſacris homo, gratìs deſcendit de cœlo. Haud hìc ſignum reliquit ſicut in alijs ſacramentis: hìc manet & permanet pro eximia demonſtratione charitatis: novo ingenio in ſchola amoris nova, & novo modo, quippe accidentia ibi ſine ſubiecto ſubſiſtunt.

Quantũ ſtudium amoris Chriſti erga homines in hoc Sacramẽto!

Accidentia ſine ſubiecto ſubſiſtũt.

4 Datur Manna filijs Iſraël & in Sanctuarium reponitur illò repletum gomor, ut noſcerent qui poſt eos, qualis in ſolitudine maiorum cibus. *Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retrò generationes, & noverint panem, quo alui vos in ſolitudine.* Patet ſignum miraculi incorruptionis formarum ſacrarum aliquarum, quæ retrò ſæculis conſervantur in Eccleſijs Catholicorum: igitur in Sanctuarij urna incorruptum Manna perſeverabat, quod poſtridiè quàm collectum putreſcebat. Occurrit ergo diſcutiendum, quo pacto Hebræi futuri agnituri qualitatem cibi, dum Manna erat in urna occulta Sanctuarij? Numquàm legitur, aliquos poſterorum deguſtaſſe Manna: quo ergo ſenſu cognoſcendum qualis ſit, ut per eius innatam dulcedinem, noverint miſſum à Domino panem? A Patribus audiunt, verùm Manna nec vident, nec edunt: & cognoſcunt? Utique. *Omnes* (ait Paulus) *eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt.* Non de cibo corporis in corporis cibo eſt cogitatio, ſed in illo, de cibo ſpiritali vitam conceſſuro mundo: & non guſtantes nec videntes agnoſcunt qualis ſit cibus; quia panis cœleſtis non cognoſcitur per ſenſus. Audierunt tantùm, non viderunt, nec guſtarunt: & tunc cognoverunt Angelorum panem; quoniam minimè cognoſcitur niſi per fidem. Panis eſt, & panis non eſt. Sunt panis accidentia, ſed non ſubſtantia: igitur ibi non eſt connaturale ſubiectum, ſed alia ſubſtantia ſub ſpecierum velo ſacramentalium.

Exod. 16. 32.

Incorruptionis prodigiũ ſacrarũ formarũ.

1. Cor. 10. 3.

Cœleſtis cibus non cognoſcitur per ſenſus.

Ori-

5 Oritur nobis nobilitas cibi, ex quo originem habuit faſtidium populi. *Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi Man:* eſcas Angelicas pertæſi dixerunt. O fatui! Iſthæc profectò felicitas cibi, ut ſit quicquid volueritis, & nihil aliud præter Man intueantur oculi. Aliud ſanè eſt quod videtur, & aliud quo anima fruitur: quippequàm ſummum prodigium, quòd eſſet aliud. Manna panis erat, ſed alius ſapor deſideratus erat in pane, cùm haberet pro lubito quicquid cupiebat animus oblectamenti: & ex quo illorum tædium, rutilat ſpectabile miraculum; quia omnimodæ abundantia dulcedinis, dum videbatur tantùm ſpecies panis. *Tranſtemperabatur, quaſi in hoc Manna fuerit typus tranſubſtantiationis panis in corpus Chriſti:* ait Alapide in *Exod.* 16. 31. & etiam Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 3. *punct.* 2. §. 4. Alia erat ſubſtantia ſub panis figura: quæ exponitur pro Sacramenti Euchariſtici forma; in quo ſub ſpecie & figura panis manet ſubſtantia corporis Salvatoris.

Numer. 11. 6.

Typus tranſubſtantiationis in Manna.

Alap.

6 *Nauſeat anima* (ſæpe querelam geminant) *ſuper cibo iſto leviſsimo.* Cur inquires, Manna cibus vocatur leviſsimus? Reijce nænias Rab. Salomonis dicentis, quòd ſuper Hebræos irruit formido, ne putreſceret in ſtomacho. Aliqui dixerunt, quia licèt vigeret omni ciborum excogitabilium dulcedine; non gaudebat ciborum accidentibus, ſed tantùm accidentibus Manna, ſcilicèt colore, formà, & figurà. Unde anima illorum in ipſis tabeſcens pertædebat, eò quòd non eſſet idem quod ſpecie repræſentabat. Hæc ſanè ſtoliditas: quandoquidem inſignis eſca, qua ſub ijſdem accidentibus, aliorum latet ſubſtantia. Alij arbitrantur futilitatem, ex eo quòd immutatà ſubſtantià permanerent talis ſubſtantiæ accidentia: ſapor enim alius aliam ſubſtantiam ſequitur, ſiquidem per ſubiectum accidens individuatur. Modus præſcriptus non cibi, ſed illorum indicat futilitatem; quippequàm dumtaxàt ducebantur per ſpeciem. Longè ab huiuſmodi futilitate panis facer Euchariſtiæ. Ibi immutabantur accidentia, & perſiſtebat ſubſtantia: hìc mirabilis panis, & vini immutatur ſubſtantia, & permanent accidentia.

Numer. 21. 5.

Inſignis eſca quæ ſub eiſdem accidentibus alia ſubſtantia.

In Manna mutatis accidentibus perſiſtebat ſubſtantia: in Euchariſtia immutatur ſubſtantia, & permanent accidentia.

7 Lorinus denique in *Numer.* 11. 7. & Villalpand. tom. 3. in *Appar. Urbis & templi*, part. 2. lib. 3. cap. 13. aſtruunt Manna intùs omninò vacuum fuiſſe: dictumque eſcam leviſsimam, quaſi nullam haberet intùs ſubſtantiam. Expreſsius ſignum eſt Manna, huiuſmodi proprietate, miraculi, quod

Manna intùs vaccum.

amantes colimus in Sacramento Euchariſtiæ: igitur panis ita vacuus, vel dum videtur ſpecies; ut ibi corpore Chriſti nulla ſit ſubſtantia panis. Panis eſt vacuus & panis ſolidiſsimus. Solidiſsimus, quia in accidentibus panis, eſt corporis Chriſti ſubſtantia: & ſimul vacuus, quia panis dumtaxàt remanent accidentia, ut pateat in ſchola amoris novo miraculo, quòd quæ ſine ſubiecto non ſunt, ſubſiſtant ſine ſubiecto. Non eſſet Sacramentum ænigma amoris, ni in Euchariſtia eſſet, & non eſſet panis. Naturaliter accidentia ſubſiſtunt in ſubiecto, quippe ſine ſubiecto non ſubſiſtunt: verùm in hac nova charitatis ſchola, ſine ſubiecto permanent accidentia; ut clareat per inſigne prodigium, quicquid hìc, eſſe miraculum: ſiquidem ut amor conferat gratiam, vincit naturam. Amor ſingularis in ſchola, haud dictat naturalia principia. Qui ſedet in throno, *Ecce nova facit omnia.* Amoris ingenio ſingulari congruunt ſingularia. Non eſſet fidei exceſſus, ni eſſet ſummus: ſiquidem per eius demonſtrationem, cognoſcimus magnitudinem, victis impoſsibilibus amoris miraculo, dum ſubiecti accidentia exiſtunt ſine ſubiecto. Aliqua dixi hìc *Tautolog.* 8. *Didaſc.* 5. Videamus alia.

Magnũ, ut quæ ſine ſubiecto non ſunt, ſubſiſtant ſine ſubiecto.

Apocalip. 21. 5.

8 Diem, quo Euchariſtia inſtituta, ut nova vita eſſet in natura humana, in ſubſidium hominum æternam ſitientium, & cibo novo expectantium, viſo Sole Iuſtitiæ ſub velamine accidentium; plaudit Chryſoſtomus *Homil.* 9. de Reſurrect. *Diem panis diem lucis.* Scrutemur diligenter diem lucis, ut cognoſcamus panis. Dies lucis fuit dies primus, in quo dixit Deus: *Fiat lux*, & illicò facta eſt: cuius pulchritudine Dei omnipotentiæ rutilavit ſpecimen, cùm vel Angeli celebrarent ſplendoris editionem. Quid igitur analogiæ intereſt inter Euchariſtiæ panem & lucem, ut dies lucis denuò fulguret in inſtitutione ſuperſubſtantialis panis? Sine ſubiecto fuiſſe creatam ſolam lucis qualitatem, aſtruunt Theödoretus in qq. ſuper Geneſ. quæſt. 7. Baſilius Homil. 6. in *Hexaëmer.* & Gregorius Nazianzenus Orat. in *Novam Dominic.* Obſerva modò. Lux accidens eſt, quæ quidem ut accidens ſine ſubiecto nequit eſſe, nec exiſtere; & tamen Dei voluntate extitit ſine ſubiecto, ſine quo nequibat eſſe. Iurè plaudit Chryſoſtomus diem panis, uti diem lucis, qua viſus editus orbis: ſiquidem ſi primo die ſubſtitit qualitas decora lucis ſine materia; ſubſiſtunt in die panis accidentia materiæ ſine ſubſtantia.

Chryſoſt.

Geneſ. 1. 3.

Lux prima ſine ſubiecto creata.

Cur Euchariſtia confertur luci primæ?

9 Prætereà. Lucis qualitatem in ſubie-

Tom. II. Taut. Bbbb 3 cto

ĉto (per quod & in quo exiſtit ut ſit) à Conditore creari; erat aptari principijs arctis, ac communibus naturæ, & ligari conditioni accidentis, quod per ſe exigit, non ſubſiſtere per ſe. Sic ſtare accidens, tamquàm accidens non eſſet; erat in ipſa conſtitutione accidentis deſignare conditionem, contra conditionem accidentis, ac ſingulari miraculo naturam condere cum naturæ exceſſu; & denique eſſe accidens & non eſſe, quoniam aberat eſſe, quo conſtituitur accidens: & in editione lucis, quaſi in ſignum inſtitutionis Euchariſtici panis, & novorum mirabilium, hoc ſequentium Sacramentum; oſtendit pro ſpecimine operis miraculo ſingulari, accidens lucis ſubſiſtere ſine corpore.

Miraculum inſigne, accidens ſine ſubiecto.

10 Quid ex hac prima luce factum, inquiritur à PP. Plures quos videris apud Bonfrerium, Pererium, & Alapide die quarto Hexaëmeri, autumant, ex illa & corpore Solis factum luminare maius, quod omnia ſplendore luſtrat, lucet decorat, tamquàm oculus orbis, & principium luminis. Haud diſplicet ſententia, qua vivide proſpicitur Euchariſtia. Lucem eſſe ſine ſubiecto fuit ſingulare miraculum. Qualitatem ſubſiſtere per ſe, novum in natura prodigium. Congrua materia, ut ſubiectum, conferenda erat die quarto lucis pulcherrimæ qualitati; & myſterium latuit in electione ſubiecti: igitur cùm exigant accidentia in ſubſiſtentiam connaturalem ſubſtantiam; dum lux, quæ ſubſiſtebat per ſe, poſtmodùm ſubiectum habuit, miraculum ſubſiſtentiæ plus refulſit: quippequàm non fuit ſubſtantia quam exigebat ſignanter qualitas lucis, cùm ibi lateret ſub velamine corpus pulcherrimum Solis. Vernaculè. *Pidiendo los accidentes correſpondiente ſubſtancia; conſiſtiò la maravilla, en que no fueſſe la que pedia el accidente de luz, ſino que alli ſe puſieſſe el cuerpo hermoſo del Sol.*

Maius, ſub accidenti lucis corpus Solis.

11 Planè igitur expulsà difficultate, intelliguntur vel à rudibus verba Chryſoſtomi. *Diem panis, diem lucis.* Dies in quo per hoſtiam incruentam in fidei myſterium apparuit Chriſtus; dies eſt principalis, primus, unuſvè quem vidit mundus: non ſolùm quia de tenebris, quæ erant ſuper faciem telluris cordium, immiſsis à caligine criminum, Deus clemens vocavit nos in admirabile lumen ſuum; non tantùm, quippe accidentia panis ſubſiſtunt per ſe, ſine ſubiecto connaturali (quod ad eſſe requirunt) quo conſtat novum miraculum; ſed quia ut ultrà progrediatur prodigium, pro ſubſtantia, quam amittunt ipſius ſubſtantiæ accidentia in materia propria, novo ſtudio in ſchola nova, ac ingenio mirabili, collocatur ſub ijſdem ſpeciebus glorioſiſsimum corpus Solis Iuſtitiæ, inſpecto in radijs panis (tamquàm in die primæ lucis, ubi Euchariſtiæ apparuit ſacramentum) miraculo ſummo, compendio miraculorum. Si plauſit orbis conditionem lucis, radij illius fulſerunt ut catagraphe gratulationum, pro Chriſti demonſtratione, in naturæ humanæ obſequium, dum inſtituit Sacramentum ſphæram amoris & mirabilium: igitur ſi tunc corpus Solis intra radios lucis viſum; nunc corpus Chriſti inter nubes accidentium micat glorioſum: etiamque amor docens in cathedra nova, dum ibi ſubſiſtunt ſine corpore accidentia.

Maximũ, quòd corpus Solis Iuſtitiæ ſit ſub nube accidentium panis.

12 Languit Ezechias in mortem, & inuſitatum mirabile ſignum elegit in ſanitatem. *Vis* (dicit illi Iſaias) *ut aſcendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?* Rex in ſanitatis & integræ valitudinis indicem, ampliorem ſignavit lucem: & ſtatim Dominus *reduxit umbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorsùm decem gradibus.* A Domino factum eſt iſtud, ſed necdum ab AA. definitum, quomodò factum. Pluribus placuit, Solem reverſum versùs Orientem ſicut tempore Ioſue: quare miraculum factum in Sole, & non in umbra indicis, quippe ſitui gnomon reſpondebat Solis. Ar. Montan. Vatab. Saä cum Burgenſi arbitrantur non in Sole, ſed in umbra factum prodigium: unde hìc ſubdit: *Diſpoſuit Deus miraculosè, quòd Sole incedente curſu ſuo, abſque aliqua variatione, ſeu retroceſsione, radij ſolares in horologio Achaz tantùm, & non alibi retroceſſerunt per decem gradus, & iterùm reverſi ſunt per alios decem ::: nam motus Solis non fuit in aliquo variatus à curſu naturali.* Quapropter cùm Sol naturalem haberet curſum, umbra decem lineis errabat iuxta Solis aſpectum & ſitum. *Hoc maximum ſignorum omnium* (inquit, ſubſcribens ſententiæ Sanctius in *Iſaiam* 38. n. 11.) *quæ facta ſunt in cœlo.* Quare maximum ſignum, dum ſtationem Solis tempore Ioſue, & eclipſim irregularem, morte Chriſti oſtendit cœlum? Quia Sol ſequebatur curſum cœli; ſed non ut erat, horologium oſtendebat curſum Solis: etenim diverſas lineas index deſignabat; cùm iuxta Solis curſum indicare horas debuerat. Ecce prodigium & miraculorum maximum. Umbra

4.Reg. 20.9.

Verſ. 11.

Miraculum pro ſanitate Ezechiæ factũ ſolùm in umbra.

Paul. Burgen.

Quare hoc maximũ ſignorum?

Sanct.

bra eſt accidens quod producitur (ut dixi *Didaſc.* 3. à n. 3.) ex luce & interpoſitione corporis opaci. Naturale eſt, umbram corpus ſequi, quod ex diametro opponitur luci. Diſcurrere Solem, quin reſultaret umbrà ibi, ubi erat diametrum lucis; erat deſignari umbram ſine mediatione corporis: quare cùm umbra ſit accidens; prodigium effulſit ingens, ac miraculum inſigne, quòd ibi accidens ſubſiſteret ſine corpore.

Miraculũm grãde umbra ſine corpore.

13 Aliter indicabo. Sole ſuum ſequente curſum, & diverſam lineam umbrà ſignante iuxta horologium, quin medium eſſet corpus indicis inter lineas & ſplendorem Solis; umbra in horologio ſine corpore aſpicitur, & corpus gnomonis oppoſitum Soli ſine umbra molis videtur: etenim non erat duplex umbra tunc in lineis, alia naturalis ſequens ex diametro Solem; & alia miraculoſa, quæ Regis præſignaret valetudinem. Erat index ſine umbra comitante, & umbra in horologio ſine indice. Ergo huiuſmodi oſtentum plaudatur iurè miraculum maximum: quandoquidem non ſolùm videtur prodigium accidentis ſine corpore, in oſtenſionem miraculi; ſed etiam in indicem vitæ mortalium, corpus ſine informatione naturalium accidentium.

Et corpus coram luce ſine umbra.

Pro hominis vita.

14 Clariùs igitur. Aliud lux Solis ſignabat, & aliud ſignare iuxta lucis ſitum in horologio debebat. Corpus indicis ibi erat, quaſi non eſſet corpus, igitur nullam habebat umbram. Umbra erat etiam ibi, ſed non ex corpore, quippe non ab indice: & miraculum inſigne rutilavit, ex eo quòd umbra, accidens naturale corporis, evanuerit. Hoc magnum, verùm additum ſummum: igitur miraculum maximum, quòd ibi eſſet umbra ex corpore, quin poſsit deſignari corpus umbræ. Denique. Prodigium erat, quod aſcenderet, vel deſcenderet Sol, ut nova curricula deſignarentur in horologio Achaz. Intendit hoc ſigno cœlum oſtendere ſignorum maximum; & umbram demonſtravit, quin corpori reſponderet: quippe ſi umbra accidens opaci corporis (& index ſalutis Regis) quæ nequit per ſe ſubſiſtere, habens ab alio & in alio eſſe; cuncta tamquàm in maximo miraculorum lucent, cùm accidentia ſine ſubiecto eſſent ſic, quaſi ſubiectum haberent.

Miraculum ſummum, quòd umbra ex corpore, quin ſignetur corpus umbræ.

15 Hoccine elogium dirigitur Sacramento altaris tam ab Auguſtino, Tract. 26. in *Ioann.* quàm à Doctore Angelico *Opuſc.* 57. *Miraculorum dicitur ab ipſo factorum maximum.* Sol Iuſtitiæ eſt, qui habet in pennis ſalutem, & deſcendit de cœlo in hominum medicamen. Horologium in quo Solis demonſtrantur horæ & gratiæ, eſt auguſtum Sacramentum Euchariſtiæ. Hic tamquàm in cathedra & ſchola novi amoris, contra communem philoſophiam per ænigma novæ docentur charitatis theſes: & pro nobiliore doctrinæ & amoris demonſtrationis miraculo; decrevit in auguſto & maximo Sacramento, ſuum corpus eſſe in ſpeciebus accidentium peregrinis, & ſine ſubiecto ac ſubſtantia propria ſubſiſterent ibi ſacramentales ſpecies: umbram eſſe corporis, ſine corpore à quo umbra, & ſubſiſtentiam ſine ſubiecti naturalis ſubſiſtentia: accidentia eſſe ſic, quaſi non eſſent accidentia (quandoquidem accidentia ſunt, verùm ſubſiſtunt per ſe) ut cùm exhiberet in ſchola ſingulare principium, etiam demonſtraret miraculorum maximum. Hæc facta in noſtram ſalutem, minimè abdicamus medicamen. Monet vel Ethnicus lib. 2. de *Ponto*, Eleg. 8.

Aug. & D.Th.

Euchariſtia miraculum maximum, & horologium amoris.

Præſentes aliquid proſit habere Deos. Ovid.

DIDASCALIA VIII.

Specioſiùs iniuriæ beneficijs vincuntur, quàm mutui odij pertinacià penſantur.

1 AIt, & multis exemplis aſtruit Valerius Maximus libr. 4. cap. 2. Amor conciliatur amore.

Valer. Maxim.

Sume meas, ſumam ipſe tua mea vita ſagittas:
Non aliter noſter conciliatur amor.

Oth. Væn.

Succinit ex Philoſtrato Otho Vænius *Amor.* Emblem. 5. In mutuum amorem conatur flectere corda, ut reconcilietur amicitia: quod quidem feliciùs obtinetur ſagittis amoris, quàm ſagittis: ſiquidem ubi cor telis gratiarum amoris non convertitur, uſque ad intima percutitur. Ideo gratia apud Ægyptios, ut refert Pierius Valerianus lib. 55. cap. 8. ſignata fuit rutilà roſà. Roſa ornatur decore ſpecioſitatis & ſpinis. Specioſitas delectat, ſpina ſauciat: & roſæ exponitur clarius emblema, dum cordi averſo confertur, ut proſit, gratia; quippe ni in amorem ſuavitate floris ducatur pectus, ſtimulis ſpinarum vulnerabitur in vulnus. Unde Oedipus apud Tragicum in *Thebaide* Act. 1. v. 33. ait:

Roſa ſymbolũ gratiarum.

——— *Recipe ſupplicium vetus* Senec.

Sem-

Semper cruente, ſæve, crudelis, ferox
Cùm occidis, & cùm parcis.

Illuſtrior vindicta à gratia.

Iurè, igitur ubi corda beneficijs non cedunt, occiduntur: & illuſtrior (licèt non ex animo) obtinetur vindicta, dum cogitatur à gratia.

2 Servavit Cinnam à proſcriptione Auguſtus, ſed Cinna adhuc pertinacia ſtetit averſus, & adverſarius; igitur vel tot ornatus gratijs, conſpiravit audax in vitam Cæſaris. Scivit Princeps, & ad ſe vocato, ut refert Dio, crimine perduellionis indulto, placidè dixit: *Vitam tibi Cinna iterùm do: priùs hoſti, nunc inſidiatori, & parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia, ac contendamus, utrùm ego meliori fide vitam tibi dederim quàm tu mihi debeas.* Ethnici hoc faciunt, & Catholici refugiunt?

Dio.

Lucret.

— In eo ſpes eſt, unde eſt ardoris origo,
Reſtigui quoque poſſe ab eodem corpore flammam,
Quod fieri contrà coràm natura repugnat.

Natura rationalis potiùs flectitur gratijs, quàm telis.

Longæ erant Cæſaris manus ut nequaquàm quieſceret niſi ultus: & voluit iniurias odij ingenio, & maieſtatis arbitrio non delere; ſed beneficijs contra naturam iraſcentem vincere: quippequàm rationalis natura potiùs flectitur gratijs, quàm potentiſsimis telis maieſtatis & ultionis: igitur tunc cognoſcitur integritatem ſolicitari amicitiæ, & non vindictam offenſæ.

3 Intelliges modò auctoritatem Noſtri legislatoris Benedicti. *Si cui* (ait *Regul. Sanct.* cap. 43.) *offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit, hora qua deſideraverit hoc, quod priùs recuſavit, aut aliud omninò non percipiat, uſque ad emendationem congruam.* Quæ culpa huiuſmodi recuſatio gratiæ, ut congrua diluatur emendatione? An frigiditas faciei concedentis ex inurbanitate inferioris reluctantis? Sanè ſufficit, verùm potiùs Patriarcha invehitur in animum, quàm in actum externum. Sæpe uſuvenit, Præſidem ut alliciat ſubditi animum averſum, ex his quæ menſæ miniſtrantur, diſtribuere munuſculum, ut etiam perſpicuè ſciat qui triſtis amaritudine doloris, illam haud immiſſam niſi à præſcripto legis: nequaquàm à Præſide pœnam illatam, ſed à ſubdito delinquente in defectu præcupitam. Qui fatuus arbitratur iniuriam quaſi à voluntate Superioris, & non ex tenore legis; averſione vultus minax conatur ulciſci, quam viribus nequit. Superior beneficijs flectere cogitat averſionem: ſubditus verò beneficia recuſat in animi rectitudinem: & Legislator Ss. corripi iubet huiuſmodi recuſationem ex animo; quippe arguit palàm pertinaciam in odio, cùm par ſit, quòd iniuriæ, ſi aliquæ, deponantur; quàm quòd pertinaciter in pectore reſerventur.

S. Bened.

Iniuriæ faciliùs deponantur, quàm reſerventur.

4 Aptiùs Didaſcaliæ. Si gratia Præſidis, magni & iurè, à cordato habetur, & palàm conſtat beneficij exhibitione; cur ſubditus dignatus ſuperioris gloriâ, recuſat accipere beneficia? Quia vinctum & victum ſe iudicat, dum accipit; vel conſtringitur, ut iniuriam citò condonet. Si accipit, uritur: odij pertinacia patet, ſi non accipit: & tenax iudicij eligit potiùs uri ab odio, quàm à pectore benefico; quandoquidem ex beneficij flamma intolerabilis pœna. Recuſant in gratia incendium, & tunc magis ac magis uruntur, tendentes ex igne in ignem ob inimicitiæ fomitem; quod totum ſanè excuſarent, ſi gratijs pectora cederent: iubetque Patriarcha plecti huiuſmodi amentiam vel ſtultitiam; quippe dumtaxàt amentes vel ſtulti poſſunt eligire potiùs uri, quàm flecti. *Fac cibos ut comedam:* dicit Iſaäcus filio primogenito. Ad quid *ut comedam*, deſignans eſcam? Ut conſtet effectus gratiæ inter amicitiam & inimicitiam: igitur ſi inimico confertur gratia, convertitur in venena.

Multi eligunt potiùs uri, quã flecti.

Geneſ. 27.7.

Inimico beneficium, toxicum.

5 *Si eſurierit inimicus tuus* (ait Paulus ex Salomone *Prov.* 25. 21. 22.) *ciba illum: ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Non amaritudo dignati intenditur à Paulo, ſed ſubſidium inimico. Unde ſæpe inimicitiæ gratijs non ſopiuntur, ſed recrudeſcunt; quippe non fiunt ut inimicos convertant, ſed ut confundant. Quanto ingenio: Dux Monachorum Pater N. Glorioſus Benedictus *Regul. Sanct.* cap. 4. *inſtr.* 70. profert: *In Chriſti amore pro inimicis orare!* Non ſolùm pro inimicis orare, ſed in amore Chriſti: oratio pro inimicis eſt demonſtratio dilectionis: igitur habetur ut obſequium, per quos venit exercitium: verùm in Chriſti amore faciendum; quoniam haud dirigi debet oratio, ut pœnas luant, & per ipſam patientiam mortificentur, ſed tantùm ut convertantur. Apud Sinas uſitatum huiuſmodi tormentum. *Sunt* (refert Ioannes Nieunhovius in *Legat. Batav. ad Cham.* part. ult. cap. 4.) *qui nudo vertici ignes imponunt, donec cute ad fœdum nidorem aduſtâ eleëmoſynam aſpectantibus excutiant.* Aliter igitur cogitat Paulus, ne eleëmoſynam petat inimicus.

Rom. 12.20.

S. Bened.

Pro inimicis interceden dum, ut cõvertantur.

Sine carbones ſuper caput imponãt

6 Contemplemur intentum. Si eſurierit inimicus, profectò cibandus; quippe tunc

tunc ignis imponitur ſuper caput eius. Beneficium eſt velut ignis. Omnia in ſe elementum convertit: & ſicut ignis ſplendeſcit beneficium, quia in amicitiam compellit averſum animum: igitur gratia ſtudioſè attrahit, quem odium expulit. Ignis urit & beneficium eſt ignis; ſiquidem inimicum gratijs inflammabis in amicitiam, vel inflammabis: convertetur ſi acceperit, & ni acceperit peribit. Haud iuxta ſpem contingit adverſario, dum videt offenſum ſtudere beneficio: & tunc beneficium non beneficium, ſed ignis videtur; quippe qualibet gratiâ hoſtis uſque ad intima uritur. Hiſpan. *Qualquier beneficio le abraſa.* Si iuxta facta reſponderet offenſus, periret ſanè inimicus & dum beneficium confertur, hoſtis intimè cruciatur, eò quòd accipiat à premente miſeriâ ſublevationem, à quo dumtaxàt quibat timere crucimen.

Cur beneficium adinſtar ignis?

Qualibet gratiâ inimicus uritur.

Eurip.

Ex rebus inſperatis gratia maior.

August.

Canit Euripides in *Iphigen.* Per ly *Carbones ignis*: Auguſtinus Serm. 163. de *Tempore*, ruborem intelligit, vel verecundiam, quaſi nequeat fautus hoſtis vultum levare coram benefactore; igitur videt amicum, quem iurè infenſum, ac indulgere gratijs petitum iniurijs. Plerumque offenſa rependitur offenſâ: & hoſtis facies decidit præ verecundia; eò quòd hoſtis adiuvatur ne pereat, per illum quem uti adverſarium odio perire deſiderat.

Et verecundatur.

Quare?

Hipoc.

7 Ulteriùs. Iuxta Hippocratem lib. 1. de *Morb.* his qui laborant phreneſi, vel ſideratione, ut in mentem redeant, neceſſe eſt, acerram ignitis carbonibus imponi capiti. Amentia eſt vel phreneſis foveri odia, quæ aboleri poſſunt per beneficia; & dum fovetur beneficijs inimicus, carbones ignis imponuntur ſuper caput eius; quippe tunc gratijs recipit intellectum, quem amiſerat per odium: cognoſcitque perſpicuè, quàm longe aberat à ratione, perſequi ut adverſarium, quem habet in neceſsitate intimiorem amicum: igitur ab illo quem occidere molitur, impeditur, ne moriatur.

Remedium in phreneſim.

Odium in proximũ, phreneſis eſt.

8 Denique. Carbones congerit in fautum, qui elargitur beneficium. Quo ingenio ſi ignis urit, & gratia placet? Quippe ſi gratia inimico non placet, magis urit. Aſtruit Chryſologus Serm. 37. *Sævus hoſtis amando lædit.* Quia lædit, hoſtis: at amando hoſtis, & ſævus? Sanè: iniuriam auctoritas accipit: ſi gratiam animus reddit, inimicum ſuffocat meditanter beneficijs. Quid gravius faceret hoſtis vel ſævus? Dona ab inimico nonnumquàm ſuſpecta. Patet in donis Aiacis & Hectoris ut refert Homerus *Iliad.* 8. Unde Claudius Minos accinit:

Chryſolog.

Amore graviora vulnera.

Atque ita ab hoſte hoſti veniunt lethalia dona.
Quæ ſtudij ſpecie fata necemque ferunt.

Timendi ſunt inimici vel dona ferentes. Plus formidinis ab amicis; quippe ubi procul querimonia, intimiora ſunt vulnera. Hinc iurè hoſtis vocatur & ſævus, qui inimico vel infeſto præſtat propitius; ſiquidem Siculi non invenere tyranni tormentum maius, quàm intimè vulnerari, & vulnere accepto non poſſe quæri: etenim devorat urgentem uſque ad intima dolorem, ne rursùs cunctis propalet pectoris ingratitudinem.

9 Dum percutitur adamas, potiùs vulnus infert, quàm accipit: ſic læſus qui amando lædit; igitur ingenio beneficentiæ ita concludit mentem malevolam criminoſi; ut quantumlibet rumpatur, velit nolit, gratuletur. Vulnera ſunt graviora, quia grata vulnera. Lædit beneficus amando, & ideo tamquàm ſævus hoſtis lædit. Lædit & adverſarius, lædit amando etiam læſus: ille ultione, hic charitate: & dum vulnera inferuntur charitatis, amor plauditur meritò ſævus hoſtis; quippequàm cùm oculitùs, ne interimat, fovet; citiùs dignatum interimit.

Quia amando lędit, gravis hoſtis.

10 Deteſtabilis omninò proditor Iudas in Magiſtrum faceſsit inſidias. Conſilium mali capitis, & ſuæ indolis. Priùs à criminibus abſtinuit, quia patrare non potuit. Non defuit animo cum voluntate pronitas, ſed machinandi facultas. Ingenia prava vertere, nulli proclive. Audax in proditione, apertâ fronte haud occuluit impudentiam, & ſecum attulit, ut intentum aſſequeretur, perfidiam. Agnovit proditus, & percuſſus amore, reſalutavit; *Amice.* Quid ſceleſtus? Tacuit. *Nec immeritò* (ait Ambroſius in *Pſalm.* 39.) *graviore telo tantæ dignationis percuſſus eſt Iudas, quaſi cum fulmine percuſsiſſet.* Vindicavit ne Chriſtus proditionem? Nullo modo. Quo igitur Iudas percutitur? Tantæ dignationis telo: & amor eſt ſævus hoſtis, ubi gratiam confert pro illatis iniurijs. Prævenit proditor, & occurrit læſi amor: offenſi offenſor rebatur viſurum faciem iuxtà factam proditionem: & cum meritò iratum ſperaret, demonſtratione dilectionis obriguit.

Matth. 26. 50.

Ambr.

Inimicus fautus, confuſus.

11 Ille dixit perfidè *Ave*, & ſciebat offenſum cognoviſſe perfidiam. Chriſtus reſpondit *Amice*: cognoſcens malevolentiam. Haud par pari referre læſus decreverat, uti ſimulator cogitaverat: blandè accepit, ubi perduellis conceperat torvè. Gratiam ſubitò invenit, ubi iniuriam ſeminavit: & corruit amore, quaſi læſus perfidum fulmine percuſsiſſet; quippe volat beneficium in hoſtem, uti devorans flammis vibratum fulmen;

men. Amicè Dominus ſuſcepit adverſarium: & hic favore perculſus, beneficijs agitatus, fulmine blandiminis ictus, conſcientia facti commotus, & tanti flagitij reus, ſeipſum ibi ſuffocavit; quia patientiam Domini ferre non potuit.

Mortifera ſunt tela patientię.

12 Obſecratum Ioſeph, poſt mortem Patris Iacob, cùm non ampliùs eſſet, in cuius gratiam poſſent ſperare veniam; acceſſerunt fratres, dicentes: *Servi tui ſumus*: obſecramus, *ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum.* Perpende, quàm congruè, nè ulciſcatur, iniuriarum oblivio exigatur à Principe: ſiquidem in illis plerumque idem eſt iniurias memoria proſequi, ac iniuriantes perſequi. Iuncta eſt igitur in Magnatibus cum memoria facultas vindictæ, & nubunt perpetuò inſtrumenta potestati: quapropter ne ſe pro iniuria illata demonſtret vindicem; obſecrant, ut ipſe amplectatur oblivionem: etenim vexationes dato tempore potentes ulciſcentur, ni obliviſcantur. *Ut obliviſcaris ſceleris.* Hæc eſt vera condonatio, quandoquidem vel cicatricem punctionis abradit oblivio: igitur interdùm cautè iniuriè condonantur, verùm prudentes ſæculi nequaquàm obliviſcuntur. *Cautè* dixi: quia filij huius ſæculi fatuitatem iudicant iniurias in oblivione ſepelire, licèt aſſentiantur iuxtà religionem condonari. E voluntate (dicunt) expellendas eſſe, ne ſubdolè accedat vindicta; attamen non eliminandas à memoria, quia Chriſtus voluit nos eſſe religioſos, minimè fatuos; ut ſciat lædens ſe ex benevolentia illæſum, quamvis tantæ dignationis indignum: ſibi ignoſci, ſed agnoſci; ne prudentiam arbitrans fatuam inſenſibilitatem, inculcet violator crimen. Sit igitur à voluntate & animo condonatum, at in memoria maneat alta mente repoſitum. Hæccine vera fatuitas & frigida ſubtilitate charitas: unde Ioſepho dicitur, *Ut obliviſcaris ſceleris*, ſi condonaveris: quoniam proximus eſt iniuriarum vindictæ, qui proximus eſt memoriæ.

Gen. 50. 17. 18.

Potentes læſionis ni obliviſcantur, ulciſcentur.

Iniuriarum oblivio, eſt ſeria condonatio.

Proximus eſt vindictæ qui vexationum memorię.

13 Iniuriæ profectò haud ſolùm obliviſcendæ ſunt voluntate, verùm etiam oblivione. De quo Nos *Tom.3. Tautolog.7.* ad illud Oſee 1. 6. *Oblivione obliviſcar.* Obliviſcitur voluntate, qui dolorem deponit generosè: oblivione verò obliviſcitur, qui nec indicat, quòd læſus obliviſcatur. Multoties Dominus Petrum admonuit iniuriæ negationis inferendæ, nihiloſeciùs illatæ. Ante lapſum prædicit, poſtquàm iniuria facta, nihil de iniuria profert. Nec verbum locutus eſt. *Diligis me plus his*: dumtaxàt protulit. Ubi offenſa? Nec memoria. Oblivione oblitus eſt ſceleris ſummi, & ex animo dilecti, & dignati, & dignandi. Pertulit, condonavit: verùm nec condonationis ſit memoria, ne in ipſa venia inimici recoleretur iniuria.

Obliviſcitur de ſunt oblivione

Ioann. 13. 48.

Cap 21. 15.

Iniuria, nec memoria.

14 *Ut obliviſcaris ſceleris*: quibus Ioſephus bis dicit, *Nolite timere.* Et ſubdit Textus: *Conſolatuſque eſt eos, & blandè ac leniter eſt locutus.* Cur ergo timent, ſi experiuntur ita lenem? Bona voluntate reſpondet iniuriæ, ſuaviloquio vexationi, beneficijs ſimulati: & timent benefactoris obſequium; quia bona voluntas fratris potiùs videbatur eſſe ſupplicium. Supplicium? Sanè, & moleſtum: ſiquidem nullum acrius lividæ & peſsimæ voluntati; quam demonſtratio fidei amoris generoſiſsimi. Sævus hoſtis blandiendo lædit, & intimè pungit: unde timent fratrem ut ſævum hoſtem; quia hoſtis nequibat ita percutere odio, ſicut ille pectora fratrum vulnerabat obſequio.

Ibid. v. 21.

Inimico obſequiū eſt ſupplicium.

15 Ut extra telorum iactum ſit inexpugnabilis vindicta Principum, offenſa pro opportunitate recrudeſcit in pectore: ac fulminis adinſtar vexatores ut comprimat, intra nubes verſutiæ ita latitat; ut infligatur ictus, antequàm fulguris audiatur ſtrepitus. Dolorem calliditas vorat, ut bilem evomat. Aliter vultus, & aliter pectus: iucunditas in facie, ſtimuli in corde. Spes ſæpe proni in ultionem, premit & ſupprimit urgentem amaritudinem: & fratres Ioſephi quamvis ruſtici, timore concutiuntur, dum illos conſolatur & blandè loquitur; ne fortè lateat ignis iracundiæ ſub larva benevolentiæ: ſiquidem ſeminaſſe ſpinas vexationum, & non metere fructus lachrymarum; invenire demonſtrationes ſanæ voluntatis, quas non laboravit in agro pectoris fides, ſed perfidia cordis; vendere fratrem ut hoſtem, & hoſtem videre fratrem; experiri ſummum familiaritatis obſequium, ubi numquàm interfuit fraternitatis officium; amari gratis, & ſepultis iniurijs; ſi inoffenſo conficit nobilem laurum, in offendente namque patet ſupplicium: igitur ſuffocatur donis, vulneratur gratijs, præcluditur beneficijs. Utilis interdùm eſt ipſis iniuria paſsis. Dicit Ethnicus *Satyr.8. v.122.*

Interdū latet ignis iracundiæ ſub larva benevolentię.

Hoſtis ſuffocatur donis, vulneratur gratijs, præcluditur beneficijs.

——Tollas licèt omne,——
Scutum gladiumque relinques
Et iacula & galeam ſpoliatis arma ſuperſunt. Iuven.

TAUTOLOGIA UNDECIMA.

SI DEDERIT MIHI PANEM AD VESCENDUM, & veſtimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum.

Geneſ. 28. 20.

EXPOSITIO LITTERÆ.

1 EN votum Iacob, & totius ſimul miſellæ humanæ naturæ nonnumquàm dicentis: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Matth.6.31. Amor in vitam urget, atque in illius conſervationem intendit. Cibo & potu quaſi fomite nutritur, indumentis protegitur & conſervatur: ideoque prævalet huiuſmodi ſolicitudo, quandiù vitam tranſegerit homo: at veſtium cura à prima Protoparentum tranſgreſsionis noxa. Audi Hilarium in ſua *Geneſ.* v. 161.

Veſtis & victus hominū ſolicitudo.

Culpa comes ſequitur, peccato obnoxia vita,
Debilitant vires cœlo venientia dona,
Æthere demiſſus paulatim deficit ignis,
Frigore peccati torpentia corda rigeſcunt:
Cura cibi, ventriſque ſubibat, cura tegendi
Corporis, & ſacrum ſubeunt mortalia pectus. Hilar.

Pro naturæ conditione rectè dictat ratio huiuſmodi providentiam, & in habitis œconomiam, ut notat Vener. Beda lib.4.cap.54. in *Lucam*, & Interlinealis Gloſſa in loc. *Matth.* præf. *Non labor & providentia damnatur, ſed ſolicitudo mentem ſuffocans.* Luculenter Prudentius in *Pſychom.* v. 677.

Beda. Interlin.

Summa quies nil velle ſuper quæ poſtulat uſus
Debitus, ut ſimplex alimonia, veſtis & una
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumque modum naturæ ne trahat extra. Prudent.

Hinc floridè Chryſoſtomus in *Proverb.6.6. Diſcite* (ait) *modum formicæ, ut evitetis modum*: ſiquidem turpis hominibus huiuſmodi anxietas, nihil niſi præſentia cogitantibus, & terreſtrium bonorum ſatagentibus. *Hæc enim omnia* (ſine modo) *Gentes inquirunt*: objicit Chriſtus ubi ſupr. in quas etiam inſurgit vel Ethnicus *Satyr.14. v.316.*

Chryſoſt. Matth.

Nullum Numen abeſt, ſi ſit prudentia, ſed te
Nos facimus Fortuna Deam, Menſura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt.
Numquàm aliud natura, aliud ſapientia dicit. Iuvenal.

Deſcribit Seneca *Epiſt.119. An parùm habet, qui tantùm non alget, non eſurit; non ſitit? Plus Iupiter non habet. Numquàm parùm eſt, quod ſatis eſt: numquàm multum eſt, quod ſatis non eſt.* Senec.

2 Frugalitatem tam victus, quàm cultus optat dumtaxàt Iacob, dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo* (de huiuſmodi ſtylo, quia ibi opportunius, agemus *Tom.5.Tautolog.2.*) *& dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum.* Dialecto Hiſpan. *Como tenga que veſtir, y que comer.* Sæpe iunguntur vel in alimentis legatis victus & veſtis, uti homini neceſſaria. Vide Modeſtinum in leg. *Cùm quidam* D. de *Supellect.leg.* Barthium *Adverſar.* lib. 1. cap. 1. & etiam Adrian. Turneb. *lib. 18. cap. 21.* Ad utrumque extenditur & iurè Iacobi votum: quippequàm permulti

Alimenta legata cibus & veſtis.